



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1863**

CXCVII. König Wladislaw von Polen bestellt Bevollmächtigte zur Regulirung  
der Grenze mit dem Orden bei Driesen, am 5, Mai 1427.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

nostro maioris Polonie generali quantocius rescribere et uestra super premiffis remittere responsa uelitis, quando ad huiusmodi grenicierum limites descendere uelletis ut et nos prelatos et barones nostros cum nostre plenitudine potestatis ad distingwendum grenicies huiusmodi super termino deputato dirigeremus. Datum in Ilkus, feria sexta proxima post Octauas Christi Corporis, Anno domini Millesimo Quadringentesimo uicesimo sexto.

Venerabili et Magnifico Pawlo de Ruffsdorf, Ordinis domus Theutonicorum sancte Marie de Prussia Magistro generali, amico nostro charissimo.

Sigismundus, Dei gracia Romanorum Rex semper Augustus ac Hungarie, Bohemie etc. Reuerendissimo serenissimo principi domino Wladislao, Regi Polonie, fratri et compatri nostro charissimo, salutem et fraterne dileccionis continuum incrementum. Serenissime princeps frater et compater charissime. Audita et intellecta intencione uestre fraternitatis in facto grenicierum et metarum inter Regnum Polonie et Nouam Marchiam erigendarum, pro quibus pendet questio, quod ad festum sancti Johannis baptiste uenturum proxime uellemus nostros nuncios destinare, Scire placeat, quod iura et munimenta pro cognoscendis et distinguendis predictis greniciebus et metis opportuna Venerabili Pawlo, Magistro generali Ordinis domus de Prussia, direximus et iam ipsis mandatam plenum dirigimus et de nouo scribimus, ut uobiscum seu cum uestris, quos ad hoc peragendum deputaueritis, conueniant et predictas grenicies iuxta tenores litterarum et probaciones testium fidedignorum terminent et distingwent modumque teneant, quod utraque pars in sua iusticia non frustretur, et quod differenciarum materia, si que suboriri ulterius posset, penitus amputetur. Ideo fraternitatem uestram ex affectu requirimus, hortamur, rogamus, quatenus aduentum uestrum seu Nuncciorum quos pro expeditione dictarum grenicierum dirigendum decreueritis, uelitis prefatis Magistro generali et suis preceptoribus intimare in tempore ut et ipsi possent pro ea re cum uestris tempore et loco opportunis conuenire. Datum in Tata, XXIII die mensis Maii, Regnorum nostrorum Anno Hungarie XL, Romanorum XVI et Bohemie sexto.

Рашъ Рачынскі Cod. dipl. Litth. С. 318.

CXCVII. König Wladislaw von Polen bestellt Bevollmächtigte zur Regulirung der Grenze mit dem Orden bei Driesen, am 5. Mai 1427.

Wladislaus, Dei gracia Rex Polonie, Lithwanieque princeps et heres Russie etc. Significamus tenore presencium quibus expedit uniuersis, Quomodo Nos limitacionibus et distincionibus granicierum aliquarum parcium Regni nostri ab una, et nonnullarum Terrarum Magnifici et venerabilis dominij Paulj de Ruffsdorff, Magistri generalis, et religiosorum fratrum suorum Ordinis beate Marie domus Theutonicorum hospitalis Jerosolomitani (sic) de Prussia partibus ab altera, prope Drezo adiacencium faciendis propria in persona intendere non valentes, cupientesque ipsas sic congrue sic iuste et sic perfecte decidere, quod omnis discordia occasione ipsarum suborta penitus amputetur, ex certa nostra sciencia, de alto et basso compromissimus et tenore presencium committimus in reuerendum in Christo patrem dominum Johannem, Episcopum Wladislawiensem,

honorabilem Nicolaum de Kiky, Archidiaconum Gneznensem, magnificos Martinum Slawsky, Castellatum Kalifensem et Petrum Cordebog, Subcamerarium Poznaniensem, aut in duos ex eisdem, qui ad infra-scripta comode poterint interesse, tamquam arbitros, arbitratores, amicabiles compositores et bonos viros, juramento per ipsos, si necesse fuerit, previo, quod secundum Deum et iusticiam, non prece, precio, amore, favore, gracia vel odio ad cognicionem, diffinicionem et decisionem granicierum premissarum intendent; predictas granicies cum alijs duobus arbitris, arbitratoribus, amicabilibus compositoribus et bonis viris, pro parte Magistri et Ordinis predictorum cum simili potestate datis vel dandis, deputatis seu deputandis, cognoscant, decident, limitent et distinguant; super ipsisque et earum occasione scripto vel sine scripto dicant, faciant, diffiniant et pronuncient semel vel pluries, aut successive diebus feriatis et non feriatis, sedendo vel stando, quando-cumque, quocumque, qualitercumque et ubicumque, omni juris solemnitate et cognicione obmissa: promittentes stare, parere, obedire et non contravenire de jure vel de facto, aut aliqua ratione vel causa, omni laudo, arbitrio, facto, diffinicioni et pronuociacioni eorum, que super graniciebus predictis et eorum occasione dixerint, pronuociaverint, diffiniverint aut arbitratj fuerint, sub penis quibuscumque inter nos hinc inde pronuociandis, interponendis et vallandis. Harum nostrarum vigore literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum in Medica, quinta die mensis May, anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo septimo. Ad relacionem venerabilis Stanislaj Czolek, Vicecancellarij Regni Polonie etc.

Aus Rzyszczewski et Muczkowski Cod. Pol. II, p. 842.

CXCVIII. König Wladislaw compromittirt wegen der Streitigkeit mit dem Orden über  
Driesen auf 4 Schiedsrichter, am 31. Dezember 1428.

Nos Wladislaus, Dei gracia Rex Polonie, Lithuanieque princeps supremus et heres Ruffie etc. significamus tenore prefencium quibus expedit uniuersis, tam presentibus quam futuris prefencium noticiam habituris, quod de nostra certa sciencia Compromittimus per presentes In strenuos et Nobiles Martinum de Slawko, Castellatum kalifensem, Petrum Curdebog, subcamerarium poznaniensem, Sigfridum de stegeliez in Ryez et Buccardum de Gunterberg in kalifensi heredes de alto et basso de et super limitacione granicierum prope Dreffno super quibus inter nos ab una et Magnificum dominum Paulum de Ruffdorf Ordinis beate Marie virginis domus theutonicorum de Prussia Magistrum generalem et suum Ordinem partibus ex altera questio est suborta, Stabimusque, obediemus et parebimus cognicioni, discussioni et determinationi prefatorum Martini, Petri, sigfridi et Buccardi tamquam arbitratorum super probacione pociorum, iurium, limitum predictorum iuxta tenorem et continenciam littere sub sigillo preclari principis domini Alexandri alias Witoudi, Magni Ducis Lithuanie, ffratris nostri charissimi pendenti sub dato in Welunia decima octaua die mensis Maii Anni domini Millesimi Quadringentesimi vicefimi tercii et aliarum cedularum hincinde indentarum seu excisarum sigillis nostro et prefatorum dominorum Magni Ducis et Magistri quantum ad istum sigillatis, sub dato in Grodno, feria secunda